

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0084
	0082
	0088
	0078
73	
dum passus genibus ficeret. Si enim passum sinistro genu fecit, in latus sinistrum totaliter inclinabatur; si dextro, in dextrum; et inter hoc frequenter vel in latera ruebat vel pronus in faciem cadebat, et fractis caligis in parte genuum rumpebatur etiam pellis, et sanguine vestigia sua signabat singula. Manicae circa cubitos ruptae erant et brachia vul- nerata, facies tumefacta, et tota hominis illius species immu- tata fuit. Ecce etiam quod nos reptando manibus et pedibus difficulter ascendimus, ille geniculando et cubiculando ascen- dit, viriliter pro nihilo dicens cruciatum; nam poenitentia sancta amara facit dulcia, difficilia levia, dura mollia. Quis quaeso non moveretur ad pietatem videns illius boni et probi peregrini exercitium arduum, difficile, virtuosum? Quem non poeniteret peccati, videns peccatorum tam duram punitionem? Ascendimus igitur in altum et vidimus supra nos cacumen longe distans, ad quod altis et brevibus et crebris respira- tionibus anhelavimus, putantes ibi finem esse ascensionis. Sed dum cum labore hoc cacumen attigissemus, tunc apparuit aliud altum cacumen in altum super omnia montana se tol- lens, et quamvis jam altiores essemus cunctis montibus per circum, ab illa tamen altitudine consurgebat alius mons rotundus, qui ab inferiori latior successive ad superiora acue- batur, et quanto altior, tanto magis praecipus erat et asperior, utpote acutissimis scopolis undique vestitus, sed et ipse mons totus quaedam limpidissima petra est, a qua scopuli et acuta saxa consurgunt. Fortificavimus ergo nos invicem, et ipsum montem sanctum aggressi sumus et usque in cacumen per- venimus, et illi, qui primi superius fuerunt, sequentibus manum porrexerunt sursum eos de scopolis ad se trahentes. Omnes autem simul praefatum peregrinum exspectavimus, eumque ad nos traximus debilem et paene exanimem. Ad medium autem cacuminis perrexiimus, et ibi ad murum capellae nos locavimus ad umbram pro respiratione, antequam ad ora- tionem procederemus. Valde enim attenuati et debilitati fueramus per illum laboriosissimum ascensum, et nimio calore incensi, unde, dum aliqui peregrini sedentes respirarent, cor- ruerunt in terram aestuantes; aliqui vix anhelatum habere poterant; caeteri sedebant et cum pileis ac vestibus auram	0093 0073 0133 0033 0183 0583 1083 Ende Anfang